



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 29. Eunomius a suis depositus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

fer in Thebaiden exul migrare jussus est. Sæculum IV.
A. C. 360.
Quartus exilii locus nescitur.

§. XXIX.

Eunomius a suis depositus

Eudoxius, postquam Eunomium in Ec-
clesiam Cyzicenam intrusisset, timens,
ne propriæ famæ noceret, & se ipsum,
rebus necdum maturis, purum Arianum,
qualis revera erat, proderet, sicque Im-
peratoris indignationem incurreret, sua-
debat, ut fidem suam dissimularet, nec
ipsemet imprudens inimicis suis occasio-
nem eum accusandi cupientibus, ansam
daret. *Veniet tempus, inquiebat: ma-
nifestandi, quod modo occultamus, fidem,
quam tenemus, ignorantes docebimus, re-
sistentibus eam persuadebimus, aut certe
cogemus, & inflexibiles puniri curabi-
mus.* Eunomius, callidum consilium se-
cutus, Doctrinam impiam verbis obscu-
ris prædicabat, sed eos, qui in verbo Dei
enutriti erant, mala arte non fefellit;
quamvis autem summe indignarentur,
tamen imprudenter se facturos credide-
re, si Episcopo in faciem resisterent, ergo,
hæreticos se simulantes, in ejus domum
se conferunt, rogant, ut clare suæ Do-
ctrinæ sensum explicaret, nec se diutius
in re tanta incertos esse vellet; his ille
audacior, impietatem aperuit, cui deinde

H h h 3 dixere,

Sæculum IV.
A. C. 360. dixere, justitiæ, & pietatis legibus ad-
versari, quod veritatem aliquibus tan-
tum, & non omnibus, quos Episcopali
cura regebat, communicaret; sic persua-
deri sibi passus est, ut hæresin publice, &
aperte prædicaret.

Socr. IV. Hujus Doctrinæ novitas magnum Cy-
zici tumultum excitavit; illi ipsi, qui
Eunomium deceperant, cum multis Cle-
ricis Cyzicenis Constantinopolim venien-
tes, apud Eudoxium accusarunt, quod

Philost. VI.
c. I. Filium Patri dissimilem doceret, & se-
cum non sentientes, persequeretur. Qui-
dam Presbyter, nomine Hesy chius reli-
quis ardentius accusationi instabat, Con-
stantinopolim strepitu implens. Indo-
luit Eudoxius Eunomii simplicitatem,
suis consiliis male auscultantis, promitte-
batque accusatoribus, hanc rem sibi cu-
ræ fore, sed cunctabatur, excusans, nec-
dum sibi, ut hanc causam discuteret, va-
care. At fraus delatoribus suboluit, qui,
Imperatorem adeuntes, graviter Euno-
mium incusabant, quod pejora, quam
unquam Arius, doceret. Imperator Eu-
doxio præcipit, Eunomium ad se voca-
ret, & si reus esset, deponeret. Rem
tamen Eudoxius, frustra urgentibus ac-
cusatoribus, usque differebat. Ipsi se-
cundo ad Imperatorem recurrunt, cla-
mant, lacrymantur, & usque adeo per-
movent, ut Eudoxium, nisi de Eunomio
ex

ex æquo sententiam ferret, sua Sede e-
 jiciendum, eumque simul, & Eunomium,
 ut Aetio in exilio suo societati essent, &
 solatio, expellendos minitaretur. Ces-
 sit tandem Imperatoris voluntati Eudo-
 xius; publice Eunomium, ut Constans-
 tinopolim veniret, & fidem suam expo-
 neret, citavit. At secreto miserat, qui
 monerent, ut Cyzico discederet, & ad-
 versæ sortis causam nulli alteri, quam si-
 bimetipsi, & suæ levitati adscriberet, sua
 enim imprudentia meruisse, quod jam
 sibi accideret. Deinde in Concilio in
 hunc finem congregato, Constantinopoli
 absentem condemnavit, & ab Episcopa-
 tu deposuit. Eunomius, ut convenerat
 inter ipsum, & judicem, non comparuit,
 palam conquestus, quod contra se iidem
 essent actores, & Judices. Ab illo tem-
 pore Eunomius separatæ ab aliis Arianis
 factionis Dux extitit, multi enim Eudo-
 xii ignaviam & in amicum perfidiam
 damnantes, Eunomio juncti, ab ejus no-
 mine Eunomiani dicti sunt, qui tamen
 & ipse prius Magistrum suum Aetium
 perfide destituerat, nec, antequam fuis-
 set condemnatus, ab Eudoxio recessit.
 In Cappadociam se recepit, patriam suam,
 ubi Episcopus, Presbyterosque, quamvis
 ipse depositus, ordinabat. Alius Episco-
 pus Cyzicenis non est datus, quia po-
 pulus constanter Eleusium, qui ante

Sæculum IV.
 A. C. 360.

Philost. VI.
 c. 3.

Sæculum IV. Eunomium Episcopus fuerat, sequeba-
A. C. 360. tur. (*)

§. XXX.

(*) Hic in Notula Protestans de Eunomio dicit: Er war in seinem Vortrag und Schriften ein *Sophist* und unnützer Schwärzer; sonderlich aber ein elender Ausleger der Schrift, und fonte auch, wie alle Arianer und Socinianer, nichts anders seyn. Hem! hem! huc advertite! Lutheranus Arianos, & Socinianos laceffit. Domine Interpres Protestans! cum bona venia, quare Ariani non possint æque bene S. Scripturam intelligere, & interpretari, ac Domini Lutherani? vel quicumque alii ab Ecclesia Romana exclusi? Edic nobis istam diversitatem, solve hunc nodum plusquam Gordium, quod jam ultra annos ducentos Catholici ab omnibus A catholicis frustra expectant! Nulla alia profecto inter Arianum, & Protestantem de Divinitate Filii disputantes est distinctio, nisi quod Arianus longe clariores, in sensu obvio pro sua Hæresi, quam Lutheranus pro veritate textus ex S. Scriptura adducere possit. Si mihi cum Arianis res esset, postquam allatos ab ipso textus ex Scriptura explicassem, & illos, qui æqualitatem Filii cum Patre probant, exposuissem, Perstinaci Auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, & Conciliorum universalium objicerem, cum S. Augustino contr. Ep. Fund. c. 5. dicerem: *Evan-gelium non crederem, nisi me Ecclesiæ commove-ret*